



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Pastorum Sive Instructio Practica Neoparochorum

Dirckinck, Johann

Treviris, 1702

Præfatio Ad Admodum Reverendos, eximios, doctissimosque Dominos  
Pastores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51873)





# P R Æ F A T I O

A D

*Admodum Reverendos, exi-  
mios, doctissimosque*

*DOMINOS PASTORES.*

**A**dmodum Reverendi, eximii, doctif-  
simique Domini, si in hisce Germa-  
niæ nostræ Regionibus, quemad-  
modum in Italia, uti & Argento-  
rati, Metis ac Parisiis, alibi que in Gallia, pro  
formandis rite Parochis, seminaria fundata repe-  
rentur (quod unicè optandum, summæque  
pro communi bono, utilitatis foret) in quibus  
futuri animarum Curatores; in cunctis scien-  
tiis, virtutibus & functionibus parochialibus  
exercerentur; atque in meditationibus rerum  
coelestium, in scripturis sacris, in Missalis & Bre-  
viarii rubricis, in cantu & sacri solennis cære-  
monii, in Theologiæ, præcipuè moralis, studiis,  
abisque functionibus necessariis, biennio inte-

A S

gro



gro, velut in Tyrocinio, probè & practicè instituerentur; aliâ instructione superiedere liceret: verùm cum in pluribus Germaniæ nostræ Provinciis seminaria ejusmodi desiderentur, novellique Parochi non rarò à scholis, ad munia pastoralia, absque debitâ instructione, & dispositione præviâ, accedant; informationem talibus, perquam utilem; imò necessariam esse quis non videt?

Non ignoro equidem ab aliis quoque Instructiones ejusmodi in lucem editas: prostat in Bibliothecis insigne Pastorale S. Gregorii Magni: prostant considerationes præclaræ ad Eugenium Papam Doctoris Mellisvi: extant, ex recentioribus, Instructiones Lohneri, Segneri & aliæ; ad quas animarum Curatores ablegari possent; verùm cum illæ, in hisce partibus, in Pastorum paucorum, ut reor, versentur manibus; & ego specialiter ad hoc sum requisitus, rogatusque; à quibusdam etiam Archi-Diceceseos hujus Trevirensis DD. Decanis ac Pastoribus excitatus; ut ea quæ Novellis Pastoribus utiliora judicaret, in compendium redigerem; atque id ipsum Eminentissimus, ac Reverendissimus Archi-Episcopus noster & Princeps Elector, summo opere sibi placiturum, per literas clementissimè significaret; eò promptiùs laborem hunc suscepi, & occasionem gloriæ divinæ amplificandæ negligendam haud putavi: præsertim cum in Westphalia non nemo è Dominis Præsidibus Sodalitii Bonæ Voluntatis, pro egregio suo animarum



marum zelo, aliàs quoque in simili causa, comprobato; & pro singulari affectu in dictam Confraternitatem Sacerdotum & Pastorum, quæ in Dioecesi Monasteriensi, & Osnabrugensi, nec non in Ditione Lingensi, in quadringentis, quinque & viginti capitibus, indies magis, magisque efflorescit; trecenta exemplaria postularet, inter dictos DD. Confratres distribuenda; uthâc ratione, in promovenda Dei gloria, & salute animarum procuranda, manum auxiliatricem præberet, atque hæc quidem tum ansam scribendi dedere, tum calcar addidere.

Motiva verò primaria, quæ scriptionem istam suaserè, alia non fuerunt, quàm ut 1. Dei omnipotentis gloriam, juxta vocationem meam, pro modulo meo, propagarem. 2. Neo-parochis, in aliorum Librorum defectu, instructionem nonnullam præberem. 3. Pastoribus veteranis sat doctis refricarem memoriam, aliàsque lecta & perspecta, denuò, compendiosè, velut in speculo, repræsentarem. 4. Ut à Parochianis quoque plurimarum parœciarum, non centenis; sed centies millenis, ut sperem, fructum spiritualem, Deo juvante, referrem. Qui conchas margaritiferas piscantur, nunquam piscationem instituunt lætius ac felicius; copiosiusque capiunt; quàm cum earum Principem & Ducem in retia sua traxere: tunc enim reliquæ sponte sequuntur & seducuntur. Simili modo, qui apum examen novellum alveari concludere cogitat, nisi Regem earum ceperit,



actum agit : hoc autem capto , reliquæ insequuntur , in ordinem bonum rediguntur , & dulcia mella conficiunt . Ita pariter & ego , meâ inopiâ , nunquam in proximis , majorem me fructum facturum autumo , quàm si Pastores animarum capere , & in Evangelicæ , Apostolicæque perfectionis sâgenam introducere , Dei gratiâ , valero . Ad quos ex munere spectat , mortales ducere in via , quâ ad Deum tendunt ; quosque , oves , tanquam Pastores & Doctores suos , ultro æmulantur & imitantur .

His igitur motivis animatus , calamum arripui , & è tempore , quinquaginta Societatis nostræ Tyronum instructioni , reliquo , horas subsecivas , huic Parochorum instructioni concinnandæ decerpsi ; è sacris Paginis , Conciliis , & sanctorum Patrum monumentis , ex libris Bellarmini , Carrassæ , Lancicii , De Ponte , Alvaresii , Lessii , Abelli , Segneri , Lohneri , aliisque Ascetarum probatissimorum scriptis ; tum etiam ex iis , quæ & Mindæ & Bremæ , pluribus annis in nussione degens , & parochialia omnia administrans , experientiâ didici , ea quæ Pastoribus utiliora , magisque necessaria arbitrarer , colligere & in compendium redigere statui ; non ut Pastores veteranos , longè diutiùs me , in hac palæstra exercitatos , atque ut statûs dignitate , ita & sapientiæ ac doctrinæ laudè multis me parafangis antecedentes , erudirem ; sed ut Parochiarum Candidatis , Sacellanis Neoparochis , aliisque indigentibus Enchiridion seu Manuale quod-



quodpiam exiguum exhiberem; quod quisque levi pretio comparare, manibusque assidue versare valeret; ut nonnullam saltem parochialium virtutum & functionum cognitionem, praxinque ex eo acquireret; donec Bonitati ac Providentiæ Divinæ placuerit, efficaci inspiratione & gratiâ magnorum Germaniæ Principum animos, ad æmulanda charismata meliora, fundandaque hujusmodi seminaria longè utilissima, excitare; in quibus Parœciarum Candidati exactius & practicè magis instituantur.

Quapropter Admodum Reverendi, eximii, doctissimi que Domini, tenuem hunc laborem meum, æqui bonique consulite, eaque quæ in hoc Manuali parvo legitis, non tanquam mea, aut è cerebro meo deprompta (cui nihil, nisi quod in eo imperfectum, inordinatum, & ob temporis angustias, Typographique festinationem, inconcinnum, illitatum, impolitumque cernitis, attribuendum est) existimate; sed tanquam Christi Domini Pastoris optimi, Conciliorum, Sanctorum Patrum; & prædictorum Ascetarum, spiritu ac sapientiâ præstantissimorum, dogmata, axiomata & oracula respicite & suscipite: ea assidue manibus terite, expendite, & ovium more ruminare, tandemque in praxim redigite: quod si præstiteritis, omnino confidam fore, ut Christi Pastoris boni vestigia legentes, officium arduum atque difficile, & vel angelicis humeris formidandum, quod vobis impositum est, rite adimpleatis, ovesque vobis



14 *Prefatio ad DD. Pastores.*

commiffas verbo & exemplo debite pascatis;  
ac denique in cœlestia pascua feliciter deduca-  
tis; quod vobis & illis omnibus, ex animo vo-  
veo, opto & desidero. Treviris Anno Do-  
mini 1701. 21. Novembris.

*Omnium in Christo  
Servus humillimus*

J. D. S. J.

LIT-